



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Incarnatio Mystica Sive Christiformitas**

**Roger, Nicolaus**

**[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.**

Cap. II. Multiplex convenientia Incarnationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37940**

mat, mundus testatur, elementa lo-  
quuntur, Dæmones confitentur.) Per-  
ge tu lector, & cum eodem ævi sui Au-  
gustino extasis teneat te studia, & me-  
ras insanias plurimorum Christiano-  
rum cogitantem ac lugentem; & sub-  
scribe ita scribenti, sed longè major in-  
saniam si de Evangelii veritate non du-  
bites, vivere tamen quasi de ejus falsi-  
tate non dubitares.

## CAPUT II.

*Multiplex convenientia Incarnationis.*

**J**Uverit plurimum ad illustrandam  
fidem Incarnationis multas gravef-  
que illius causas expendere; quas  
chorus Angelicus (præcentore sine du-  
bio Gabriele) complexus est paucis  
gloriam Deo, pacem hominibus con-  
cinens. Utramque tu seorsum vide.

## §. I.

**G**Loria Dei ac perfectiones ejus  
elucet maximè in hoc mysterio,  
adeo ut Christus magna sit illa gloria,  
de qua in Angelico hymno ab Ecclesia

A 7

cani-

canitur : Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Ea verò tanta est, ut Deum quodammodo altius se ipso extulerit.

I. Christus, (a) cùm per naturam divinitatis non haberet, quò cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori ne moreremur in æternum. Propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vade, & tu fac similiter, neque enim ascendere potes nisi descenderis.

II. Verbum Dei ut ad nos descenderet, propria benignitas incitavit, misericordia traxit, veritas qua se promiserat venturum, compulit, puritas uteri virginalis suscepit, salva virginis integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, charitas verbis & miraculis manifestavit.)

III. Bo-

(a) Bern. serm. 2. de Asc.

III. *Bonitas* (b) emicuit communicatione sui, eâque intimâ & substantiali in unitatem personæ. Bona quæ contulit nobis ineffabilia sunt, quia ut brevi verbo multa concludam, nihil melius invenire potuit unde nos redimeret sapientia Dei in omni sapientiâ suâ.)

IV. *Charitas* uniendo sibi tam arctè naturam nostram cùm inimici essemus.

V. *Misericordia* eripiendo nos è durissimæ servitutis jugo, & quid tantopere declaret ejus misericordiam, quam quòd ipsam suscepit miseriam?

VI. *Sapientia* inveniendo difficillimè pretii decentissimam solutionem. Jun-gendo supremum spiritum cum infimâ materia, principium Deum cum fine natura humana, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creata; Item sic disponendo ut diabolus mortem Christi machinatus ipsâ morte viduus sit, & homines tundens crebra tentatione malleator infœlix fabricetur

(b) Bern. Ser. 3. vigil. Pent.

illis

illis coronas , quibus numquam ipse tantum prodesse posset obsequio, quantum prodest odio.

VII. *Potentia* (c) in tanti mysterii, ac redemptionis per tot miracula & inaudita executione : In hoc enim mysterio agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana: ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens; videas si attendas patientiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem : videas si attendas tristari lætitiā, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed quod non minus mirum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.)

VIII. *Iustitia* quòd homine victo, non alio

(c) *Bern. Hom. 2. super missus est.*

alio quam homine fecit vinci tyran-  
num, neque vi eripuit ex morte homi-  
nem. Deinde in satisfactionis rigore,  
& solutione tanti pretii, si enim hæc in  
viridi ligno fiunt, in arido quid fiet?  
Sacras cruces in triviis spectet pecca-  
tor ut appensam in propatulo virgam  
pueri solent.

IX. *Providentia* procurando tale re-  
medium ne periret funditus genus hu-  
manum, alioqui periturum. Deinde  
decebat non deesse universo plures na-  
turas in uno supposito, siquidem erant  
in Deo plura supposita in unicâ naturâ,  
& in creatis rebus plures naturæ in  
suppositis pluribus.

X. *Mysterium Trinitatis*, (d) sicut in  
singulari divinitate Trinitas est in per-  
sonis, unitas in substantia: sic est in In-  
carnatione Trinitas in substantiis, in  
personâ unitas: & sicut ibi personæ  
non scindunt unitatem, unitas non mi-  
nuit Trinitatem: ita & hic persona  
non confundit substantias, nec substan-

(d) *Bern. Ser. 3. vigil. Nat.*

tix

tix ipsa personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim & anima, & caro in unam convenere personam.)

§. 2.

**P**Ax, hoc est utilitas hominum summa ex Incarnationis Mysterio.

I. (a) Ut homo fidentius ambularet ad veritatem mendacio diaboli deceptus, ipsa veritas Dei filius homine assumpto constituit atque fundavit fidē.)

II. (b) Non ignoramus jam oportere hominem nasci denuo; nam propter hoc secundo natus est Dei filius, in peccatis siquidem nascimur omnes & necesse habemus renasci in gratia.)

III. (c) Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus.) Qui enim proprio filio

(a) Aug. lib. 11. de civ. Dei c. 2. (b) Bern. ser. 2. de Circumf. (c) Aug. 3. de Trin. c. 10.

lio non pepercit, quomodo non omnia nobis donavit cum illo? & , qui dedit inimicis mortem suam , quid servat amicis nisi vitam suam ?

IV. (d) Quæ major est causa adventus Domini , nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, ut si amare pigebat, saltem redamare non pigeat ! ) Amicus es hominis ob naturæ conformitatem quia homo est; ne in hoc præponderaret , & ideo præligeretur homo , Deus factus est homo. (e) Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri , & cum hominibus homo conversari , ut carnalium videlicet , qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones traheret , atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem.)

V. (f) Homo sequendus non erat qui

(d) *Aug. lib. de Catec. rud. c. 4.* (e) *Bern. Ser. 20. Cant.* (f) *Aug. Ser. de Nat.*



qui videri poterit , Deus sequendus erat qui videri non poterat : ut ergo exhiberetur homo, & qui videretur ab homine , & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.) (g) Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit, & quia discipuli carnales erant , & Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui & carni, umbra corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne , solem in nube , lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna, (h) spiritus enim oris nostri Christus Dominus cui diximus in umbra tua vivimus inter gentes.)

VI. (i) Deus factus est hominis filius, ut homo fieret Deus.)

VII.

(g) Bern. Ser. 3. & 6. de Ascens. (h) Thr. 4. (i) Aug. Ser. de Nat.

VII. (k) Ne superbi spiritus studeant se amplius homini præponere, quia non habent carnem, nec homo tam excelso loco positus se amplius subjiciat illis. (Demonstravit nobis quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.) Agnosce ergo ô Christiane, inquit Leo Papa serm. de Nativ. dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.

VIII. (l) Gratia Dei in nobis nullis meritis præcedentibus, in homine Christo omnino granditer & evidenter commendatur.) Audebit enim aliquis dicere quia natura nostra in illo mediatore promeruit Deum?)

IX. (m) Superbia hominis quæ maxime impedimento est ne hæreatur Deo,

(k) *Aug. Ser. 13 de Trin. c. 7. & l. de vera Relig. (l) Aug. l. 15. de Trin. c. 17. Ench. & ser. 9. in Matth. (m) Aug. 3. de Trin. c. 17.*

Deo, per tantam humilitatem redargui potest atque sanari.

X. (n) Suscipitur à virtute infirmitas, à majestate humilitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex altero: nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo non afferret exemplum.

XI. Imago Dei erat reformanda in homine per peccatum deformata, venit imago Dei invisibilis Verbum, ut eam reformaret.

XII. (o) Verbum est similitudo Patris & scientia, illam affectarat Lucifer, hanc homo, & in utroque injuriam Filii vindicarat Pater. Ne igitur homines simul cum Angelis perirent Patri quos Angelus seduxerat, venit filius ad salvandos homines, quippe quos supplantarat aliena malitia, ideoque prodesse eis potuit charitas aliena.)

§. 3.

(n) Leo de Nav. (o) Bern. Ser. I. de Adv.

§. 3.

**Q**UOD si quæras (a) quâ ratione Filius magis incarnatus sit quàm Pater aut Spiritus sanctus, cum totius Trinitatis non modò æqualis sit gloria, sed una eademque substantia: Audies illud. Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Altissimum est mysterium, nec nos oportet temere super hujuscemodi præcipitare sententiam. Videretur tamen, nec Patris, nec Spiritus Incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maxime congruum ut is specialiter filius fieret qui filius erat, ne quid ambiguitatis esset in nomine. Denique ipsa est Virginis gloria singularis, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam sanè periis- se constat si non filius incarnaretur: Sed nec alia nobis dari posset occasio similis sperandæ salutis & hæreditatis:

(a) Bern. Serm. 2. de Annunt.

Fa-

Factus quidem primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, adsciscet eos sine dubio in hæreditatem; quos vocavit in adoptionem: Si enim fratres & cohæredes.)

His aliisque sexcentis prælucentibus rationi quasi faculis assurgat humana mens sola jam Dei revelantis auctoritate nixa ad obscuræ, sed fundatissimæ fidei culmen, & imperterrita oculo irretorto Jesum suum intuens dicat, *Tu es Christus filius Dei vivi. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Hâc fide velut anchorâ tenaci ubi mens in Christo velut in portu defixa constiterit, ne exterreatur si tentationum fluctibus interdum jactetur: Et naves anchorâ fixæ agitantur, at rarò merguntur.

### C A P U T III.

*Necessaria ad Christiformitatem obumbratio Spiritus sancti Mystica.*

**P**Ulhre in hanc rem Fulgentius. (a)  
Ex eodem, inquit, Spiritu Christus  
(a) *De Incarn. & gr. c. 2.* for-